

fusè, sed tantâ vi repercutit, ut, è Lunâ si spectetur, repercussæ lucis claritate, similiter phasibus & maculis distinctâ, Lunam ipsam in his terris visam æquet, imò tum lucis amplitudine, tum effectu splendoris, eam longè superet. Quod in *Geosciopiâ Selenitarum* prolixè diduximus.

*Utraq; partes Orbis Terrarum interjectu mutuo se disterminant, & Tellus quidem, quatenus longè lateque continuò excurrit, Terræ Continentis nomen habet, qualis inter maximas est, (1.) VETUS ORBIS, ex Europâ, Asiâ, Africâ, continuò coherentibus constans, (2.) NOVUS ORBIS, ab inventoris Christophori Columbi successore Americo Vesputio America dictus. Quorum lateribus oppositæ Terræ, tum HYPERBOREA, tum Australis MAGELLANICA dicta, nondum satis explorata sunt. Quatenus verò tellus in aquas longiùs procurrit, idq; lato à Continente initio, Terra procurrens appellatur, ut Italia; sed Isthmo quodam velut angusto collo inde pendens, Peninsula, græcè Chersonesus, ut Cimbria; circumfluis tandem aquis undiq; clausa, Insula, ut Sicilia, vocatur. Specialia nomina Chartæ sive Mappæ Geographicæ suppeditant.*

*Aquæ verò longo latoq; tractu inter Continentes effusa, quas Maria dicimus, Littorum & Promonteriorum, (vulgò Cabo sive Caput dictorum) occursum intercipiuntur, & inter Continentes quidem maximas Oceani nomen habent, hinc Oceanus Atlanticus, vulgò Mar del Nort; inde Pacificus; vulgò Mar del Zur dicta; inter minores verò, dum se tantùm insinuant, Sinus, (Italicè Golfo) dum perrumpunt, Freta, (Hisp. Estrecho,) dum terris undiq; clauduntur, et si fluminibus pateant, Lacus appellantur.*

§. 10. Corporis Terraquei velut Ossaturam continuam partes terreæ faciunt, quarum cavitatibus interfusæ aquæ, vel ignes interjecti, soliditatem totius complent. Aquæ tamen non in depressis tantùm perimetri locis quasi patentibus; tanquam in alveis, qui rariùs ultra 60. vel 100. passus, exceptis Voraginibus & Abyssis paucissimis, deprimuntur; sed & intra complexum ejus in Terræ cavernis hinc inde continentur. Ignis autem, qui Terraqueum Globum intùs fovet, non tantùm pro se perpetuas fuligines emittunt, & exhalationes; sed & ab aquis subterraneis plurimos vapores per Terræ poros protrudunt, accedente præsertim externo calore Solis, motuq; partium Terraquearum inter se,